

vous et pour tous ceux, que Dieu a confiés aux soins de votre zèle pastoral, la bénédiction Apostolique.

Rome, du Vatican le 21 Janvier 1904.

PIUS PP. X

E P I S T O L A

**Qua Pontifex laetatur de sensibus animi Abbatis Pothier circa praescriptiones de musica sacra instauranda.**

DILECTO FILIO

JOSEPHO POTHIER ABBATI EX ORDINE S. BENEDICTI

PIUS PP. X

*Dilecte Fili, salutem et Apostolicam benedictionem.*

Litteras accepimus, quibus gratum Nobis animum significabas ob ea quae nuper de musica sacra ad veteres liturgiae leges exigenda, ac praesertim de cantu Gregoriano ad pristinos módulos revocando praescripsimus. Iucundum fuit istud a te exhibitum officium, in quo obsequium agnovimus pietatemque erga Nos tuam: eo iucundius, quod a viro exhibitum erat, liturgiae in primis perito ac de Gregoriani cantus disciplina praecclare merito. Quod autem polliceris non defuturam deinceps in hac causa navitatem Nobis tuam, paterno studio istam complectimur voluntatem, Deumque, ut labores tuos benignus adiuvet, precamur. Horum porro laborum novum fructum gratulamur; *Cantus Mariales* intelligimus, a te Nobis muneri missos; de quo munere et suavi et opportuno gratiam habemus.

Auspicem caelestium bonorum, eandemque benevolentiae Nostrae testem, tibi, dilecte fili, et sodalibus istis tuis Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum die **xiv** Februarii anno **MDCCCCIV**, Pontificatus Nostri anno primo.

PIUS PP. X